DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

*Complectens*

# THESES MEDICAS THEORETICO - PRACTICAS

è

## I. Aphorism. 1. Hippocratis.

*deductas*

Quas

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*

**DN. FRIDERICO WILHELMO,**

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, RELIQUA;

*GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,*

PRÆSIDE

**DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,**

CONSIL. AUL. ET ARCHIAT. REG. MED. ET RER. NATURAL. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONGE DIGNISSIMO,

ORDINIS MEDICI h. t. DECANO.

*DN. PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE SUO omni Observantiæ atque Honoris cultu ætatem colendo,*

*PRO GRADU DOCTORIS,*

Summisque in Arte Medica Honoribus, Insignibus, ac Privilegiis Solenni obtinendis more Majorum

*Ad d. April. MDCCXIV. horis ante & pomeridianis*

IN AUDITORIO MAJORI

*Placidæ Philiatrorum ventilationi proponit*

JOHAN. THEOPH. Schwartz/

Poson-Hungarus,

---

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,*

Literis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

# DEO
## ET
# PROXIMO
## SACRUM.



*B. C. D.*

# PROOEMIUM.



Ntiqua utique est VERITAS; nempe ab ipsis rerum primordiis, in naturam rerum indita atque reposita: quin etiam à seris jam ævis, ab iis qui mentis acie illam perspicere cordi habuerunt, de tempore in tempus intellecta atque detecta. Quæ ipsa, sicuti rerum creatarum indoli constanter inhæret, ita etiam quolibet tempore, tàm in se, quàm in mente atque intellectu solertium scrutatorum, nonnisi una eademque, esse & manere potuit. Unde rectè Philosophus, *Opinionum Commenta*, inquit, *delet dies, naturæ judicia confirmat.* Veritas porrò, uti una semper est, ita simplex etiam, & hôc ipsô in plano posita atque evidens; imprimis si justâ methodô atque debitô progressu, quælibet veritas per se, vestigetur, & tunc demum nexus plurium inter se invicem, observetur. Dum ex adverso, opiniones fluxæ, in eo à scopo aberrant, quod plurium inter se cohærentium

veritatum, *ordinem* atque *nexum* legitimum non attendendo, vel præpoſterè incedunt: vel ſingularum necesſitudines aliò detorquent, & quod unius eſt, alteri asſignando, & ipſarum rerum, & juſti harum ordinis atque nexus confuſionem committunt. In Medicis rebus, juſtiſſimam laudem promeritus eſt ſine dubio Hippocrates; dum multa & in ſe vera, & eximiis uſibus idonea, non ſolùm ſuis, ſed etiam Poſteritatis uſibus, collegit, atque connotavit. Dum autem, non minus laudabili inſtituto, nervosâ brevitate uti conſuevit; nempe rectè agnoſcens, quod poſt eum Poëta expreſſit: *ornari res vera vetat, contenta doceri:* potuit ita fieri, ut ab illa ſimplicis veritatis via, ad ſuperfluam curioſitatem evagando, non tàm ubique nuda Veritas, quàm fluctuantium ſpeculationum & opinionum ambages, aut planè devia, calcarentur. Quibus rebus ingens pondus adjecit alius error, quod verè ab Hippocrate dicta, non ſolùm pro veritate ſolida, ſed etiam unica atque tota, ita declararentur, ut non ſolùm quæcunque Hippocrates dixit vera haberentur: ſed etiam, quæcunque ipſe non dixiſſet, pro non veris, nec propterea dicendis, æſtimarentur: adeò, ut non ſolum nihil detrahi ejus aſſertis æquum cenſeretur: ſed etiam aliquid illis addi, nefas duceretur. Quâ, in re, propioris ætatis polypragmoſyne ſcandalum præbuit etiam jam ſeneſcentibus, & reliquo non illaudabili ſtudio antiqua complexis, ut, quod iſti faciunt paſſim, ſi quid quantumcunque verum, imò ſpecioſum ſolùm, oſtendatur, cujus non tàm mentio apud Hippocratem facta ſit, quàm formula aliqua loquendi uſurpata, quæ
in

in eum ſenſum flecti poſſe videatur; mox totam rem ab Hippocrate ita traditam, imò tractatam, non tàm teſtentur quàm proteſtentur, ut vel ad plagium manifeſtarium conclament, ſi res illa non diſertè ad Hippocratem Autorem referatur. Ineptè certè; vel ex eo, quod in exponenda veritate, abſurdè diſceptetur, quis dixerit: dummodò, quid dicatur, verum ſit, ſeu quod dicitur, veritate nitatur. Imprimis autem injuria fit Hippocrati, ſi opiniones ejus, quas circa Ætiologiam, tàm phyſiologicam, qnàm pathologicam, hinc inde adduxit, veritatis intuitu, eôdem locô habeantur, quem obſervationes ejus, magis ſimpliciter Hiſtoricæ, meliore jure tuentur. Imò vel ipſæ hæ, Hiſtoricæ, inquam, ejus annotationes, tali auſu, in opprobrium Autoris detorquerentur; dum illud claræ luci expoſitum eſt, quod Hippocrates, neque methodô aliquâ juſtâ, res plerasque pro dignitate ipſarum deduxerit: nec etiam in agendo cenſu, atque conſtituenda tribu, variorum affectuum, illam ſolertiam impleverit, quæ intempeſtivis talibus proteſtationibus, temerè illi quærirur. Quemadmodum autem, apud omnes æquos arbitros, juſtiſſimæ laudi Hippocratis nihil quicquam detrahit, ſi illa, quæ primus ſolertiſſimè conquiſivit, non ſtatim ad ſupremum faſtigium & perfectionis culmen perducere potuerit; ſed gloria certè præſtantiſſimi cœpti, firma ipſi manet, quod primus, ut habet proverbium, glaciem fregerit, & viam Poſteris præiverit: Ita præpoſtera illa, non tam veneratione optimi ſenis, quàm admiratione, nihil certè aliud agitur, quàm ut omne illud, quicquid i-

pſe non abſolutum dare potuit, nunquam in ulterius promoveatur; & nunquam ad altiorem perfectionis gradum deducatur. Cum autem hujus rei culpam à ſe ſatis jam amolitus ſit, ipſe Divus ſenex; præſtat certè, & ejus honori hac in parte conſulere, & rebus ipſis utilibus imò neceſſariis, bonam operam navare: quàm contrariâ viâ incedendo, utrique ſcopo malè proſpiciendi occaſionem arripere. Ne ulteriore prolixitate abutamur, faciemus potius periculum, omnium harum rerum ſpecimen aliquod exhibendo, & Hippocrati honorem ſuum aſſerendi, & ipſi Veritati conſulendi. Placet itaque ex ipſius Hippocratis *Aphoriſmorum* ipsô *primô*, THESES aliquot elicere, quibus non pauca, ad intellectum atque uſum artis pertinentia, declarari poſſint. Quod quidem publicum INAUGURALE SPECIMEN nobis conſtituere, ob ipſius rei amplitudinem, non dubitavimus,

Faxit Divina Sapientia atque Clementia, ut omnia & Veritatem, & utililitatem optatam, aſſequantur.

Th. I.

VITA BREVIS ARS LONGA; tempus præceps: experimentum periculoſum: judicium difficile. Oportet autem non ſolùm ſeipſum exhibere facientem quæ decet; ſed etiam ægrotum, & præſentes, & quæ extrinſecus obtingunt. Hic eſt *primus* ille *Aphoriſmus*, quem non tàm explicandum latius, quàm applicandum, cum Deo, nobis ſumimus.

II.

Quamvis autem nonniſi *una* ſit Veritas, nihil tamen

pro-

prohibet *foecundam* esse; non solùm *numero*, multoties, & velut in immensum, recurrente: sed omninò respectu *genericô* ad plures *species* constituendas. Manifestat se hæc res in *Aphorismi* hujus, præsertim autem *priorum* ejus *propositionum*, applicatione, ad plures scopos quadrante. Ita enim, *primò*, *in genere*, & absolutô sensu, quasi *per se* verum est, *Vitam* humanam esse *brevem*. Id quod tantò magis elucescit, si vitæ humanæ verus *ambitus*, quo per universalem experientiam circumscribitur, æstimetur; nempe *octoginta* ad *nonaginta* anni; Qui nempe complexus, ad *brutorum* quorundam, tantò magis autem *arborum*, vitalitatem collatus, omninò brevitatem involvit. Si verò etiam, ulterius, *vivax* atque *vivida* ratio, strictè dictæ *Vitæ*, expendatur, facilè erit intelligere, quod limites vitæ adhuc arctioribus cancellis circumscribantur; dum vera *vivida*, *vegeta*, atque *alacris*, struendi atque sustentandi corpus humanum *energia*, non ultra *quinquagesimum* annum adscendit: sed solùm in illa periodo velut *acquiescit*, imò potius sensibiliter *fatiscit*. Unde notum satis est, quod non solùm verum *accrementum* atque *incrementum* corporis, post hanc ætatis periodum *senescat*; ita ut v. g. *solidarum* partium læsiones, ab illa ætate in ulterius, vix eadem facilitate reparentur & consolidentur, quam in multò junioribus adhuc ætatis progressibus: verùm etiam totus *vigor*, *virium* atque *roboris* corporis, flaccescat potius atque fatiscat: quàm ut *consistentis* virilis ætatis tenorem servet, nedum superet. Cujus rei manifestum documentum exhibet, ipsius vividi *toni* partium mollium externarum, faciei atque manuum, *flaccescens* remissio, in *rugas* magis magisque subsidens.

III.

Imò verò, cum mox appariturum sit, quod *Hippocrates*, ipsô præsente nostrô locô, *brevitatem vitæ* peculiari respectu, nempe in comparatione, ad *longitudinem Artis*, imprimis comparet atque conferat; non est de nihilo, etiam

hanc

hanc *brevitatis* vitæ conditionem, & ejus veritatem, rectè æstimare. Quamvis enim *Vita*, propriô atque strictô sensu, ad *corporis conservationem* eminenter pertineat atque referenda sit; debet hoc tamen dari, vulgò *usitatæ* acceptioni vitæ, ut etiam *vivida* illa energia atque alacritas ipsius *animi*, vitæ velut efficaciæ, energiæ, & *activitati*, accenseatur. Tantò magis, cum nullô modô negligi nedum negari, possit aut debeat, quod Vitâ, strictô sensu acceptâ, quatenus corporis conservationem directè respicit, quàm rectissimè constitutâ, fiente, atque vigente, etiam *animi* ipsius, *activitas*, *alacritas*, atque totus *vigor*, tantò certius atque firmius sibi constet: adeoque ipse *intellectus*, & promtius atque alacrius exerceatur, & *tranquillius* actiones suas prosequatur atque exequatur. Cum ex adverso, *corporis* Vita, & actiones ad hujus securam conservationem pertinentes, gravius *turbatæ*, *impeditæ*, aut *violatæ*, etiam ipsius *animi* vigori, notissimas *debilitationes* objiciant. Quod non solum ex eo dilucescit, quod ægri ad acriores *pensitationes*, manifestò minus habiles existant, iisque nullâ comparatione ad sanum corporis statum, sufficiant: sed omnino etiam, laborante & *periclitante*, *Vitæ* strictè dictæ, nempe conservationis corporis negotiô, langvor *animi*, inseparabilis comes accedat; *fastidia*, *tacita solicitudo* & *meticulositas*, *vigiliæ*, *sensibilitas* major, imò *impatientia*, quin *anxiæ*, aut ad minimum *turbidæ*, *phantasiæ*, ad minimum per *somnia*, notissimis & perpetuis exemplis, sese exerant.

IV.

Imò hæc ipsa res redundat adeò in *brevitatem* vitæ, quatenus illa *longitudini Artis* opponitur; nempe in defectum *intellectus*, ad longam artem satis exhauriendam: ut neminem fugiat, etiam hujus ipsius, intellectus, inquam, acris atque alacris, decrementum, cum corporis vitalibus viribus fatiscentibus increbescens. Quamvis enim, sanô sensu, non reprobanda sit antiqua illa *Senii* laus, quod *mens*,

*&*

*& ratio, & consilium, in Senibus* sit: facile tamen etiam est intelligere, quod hoc elogium magis fundatum sit super longa *experientia*, & per multum *exercitium promptitudine*, intelligendi atque consulendi: Quam super *alacritate*, & vivida *activitate*, & *solertia*, præcipuè *in ulterius* provehendi, & velut exacuandi, intellectus. Unde potius, hôc intuitu, ejusdem veritatis est, *opprobrium* illud Senectutis, quod hæc ipsa *morbus* quasi sit; *langvoribus fastidiis*, *quieti*, propior, & in hæc pronior: quàm ut *gestiat*, aut *satagat*, intellectum variis ulterioribus incrementis impendere, admovere, & adhibere. Ut adeò omnibus modis, *brevitas vitæ*, quocunque tandem sensu sumtæ, omnino sese etiam extendat, ad brevitatem *vividæ* illius energiæ, ipsius *animi*; quæ ad longas & prolixas artes exhauriendas, vel propensa, vel sufficienter adhuc idonea, sit.

V.

Deinde, *secundò* locô, vera est hæc Hippocratica assertio, de *brevitate vitæ*, ad longitudinem artis comparanda, etiam *altero*, nempe illo, sensu: quod *pericula vitali* conservationi corporis impendentia, non eminentiora tantum, sed omnino pleraque, ejus omnino sint indolis atque efficaciæ, ut directæ *artis* præsidia atque subsidia, proportionem hanc non assequantur; sed reverà jam longè *tardius* & *langvidius* incedant: & hôc ipsô impeditum & difficiliorem, effectum & eventum involvant.

VI.

Cum enim corpus animale, tali *mixtione*, quin ipsâ *texturâ* & *structurâ*, affectum sit, quæ non solum variè, sed etiam facilè, violari possit; impendet certè inde ipsi *vitæ*, *brevitas* talis, ut damna hujusmodi promtius invalescere possint, quàm ut *artis* subsidia, necessitatibus talibus satis tempestivè occupandis, aut in solidum expugnandis, sufficiant. Unde multis casibus suprà *potestatem Artis* est, irruentes *corruptiones* penitus expugnare, & integritatem corporis

simpliciter fartam atque tectam præstare. Ut hæc subinde felicitati suæ tribuere debeat, si solùm impedire possit, & eminus intercedere, ne labes talis *latiùs* grassetur, & adhuc *ampliora*, imò *majora*, damna inferat. Id quod in mutuis imprimis, partium Solidescentium unà cum fluidis, corruptelis, manifestò dilucescit. Ita ut etiam hoc intuitu, veritatis omnimodè compos sit, hoc *Hippocratis* effatum, quod *Vita brevis*, & *præceps*, *Ars* autem *longa*, *languida*, atque *tarda* sit.

§. VII.

Evidentissimum autem propemodum est, quod Hippocrates totô hôc *Aphorismô*, omnibus ejus propositionibus *simul* sumtis, & justæ suæ *connexioni* relictis & servatis, animum direxerit, ad *ediscendæ* & perfectè *comprehendendæ*, *Artis Medicæ difficultates*. Adeò, ut *brevitatem* vitæ humanæ, & periodum benè exercitæ, & insuper alacris & indefessæ, rationalis contemplationis, solertiæ, & pleni atque firmi intellectus, *longitudini* atque *amplitudini* artis ita opponat, ut *brevitatem* vitæ unius hominis, huic vix satis quadrare, indicare voluerit.

VIII.

Quæ res, uti multâ explicatione aut illustratione non indigere videtur ; ita venit tamen circà eam adhuc illud notandum, quod Hippocrates, qua erat scientia, atque prudentia, hâc ipsâ confessione, non magis sincera, quàm modestâ, sibi ipsi, suisque cœptis atque ausibus, apud Posteritatem, consulere in animo habuerit: & hoc ipso, non solùm inconditas illas, sed omnino etiam ignavas, *laudationes*, & parva literarum methathesi *adulationes*, præoccupare studuerit, ac si ipse, dogmatibus suis atque lucubrationibus, universum Artis latifundium & profundum, ita penitus exhauserit, ut nihil jam amplius Posteris restet, quam ut à se dicta atque tradita, memoriter tantum ediscant: nec ipsi quoque potiùs necesse habeant, *longitudinem* atque *amplitu-*

*plitudinem Artis*, ita ante oculos habere, ut pro virili, non solùm excolere eandem, nedum, recolere tantùm, sed colere potius, & profundius scrutari atque rimari, necesse habeant. Adeoque sibi etiam dictum putent. quantò *brevior* sit vita humana, ad diffusam *longitudinem* Artis comparata; Tantò majore opus sit animi præsentiâ atque applicatione, ad hoc agendum, quod pro scopo sibi præfixerint; nempe insistendum, invigilandum, imò insudandum, huic ἔργῳ, quo & quilibet pro se, Artem rectè perspectam sibi reddat, & omnia in commune consulat atque conferat, ut illa magis magisque pervestigata atque illustrata tandem eô locô constituatur, ut & rectè intelligi possit, quousque *potestas* ejus se verè extendat: & tàm discentibus, planior atque expeditior via, hac ratione pandatur: & cuilibet Artis exercitium aggresso, in expedito esse possit verus atque constanejus usus.

IX.

Considerata hâc ratione *Vitæ brevitate*, de *Artis longitudine* dispicere proximum fuerit. Tetigimus quidem jam aliqua hoc negotium respicientia; erit autem commodum, ea ipsa pluribus adhuc, declarare, aut illustrare. De Arte *Medica* Sermonem esse, uti nemo dubitaverit; ita duplici intuitu æstimandam hanc esse, nihilò magis dubium esse potest; nempe vel secundum *scientiam* sui dogmaticam, vel secundum usum & *administrationem* sui practicam. *Scientia* ejus, ut aliunde colligi & coagmentari non potest, nisi ab ipsa *experientia*; ita tantò major ratio, & prudentior æstimatio *experientiæ*, necessaria utique est, ne quid in hac etiam parte, vel negligenter, vel insufficienter, vel præpostere, fiat atque assumatur aut applicetur.

X.

Quocunque interim horum etiam respectuum, *longam* esse Artem, nemò diffitebitur; interim illud tamen certo certius est, quod hæ difficultates neminem magis premant, quam talem virum, qui *totam* hanc rem *solus* aggredi in ani-

inducat: aut primus tale quid ausus fuerit. Id quod *Hippocrati* evenisse, vix quisquam est, qui dubitet. Quamlibet enim ille habuerit ante se, quos ille jam *Priscos* appellat Medicos; & *priscæ Medicinæ* aliqua monumenta: *tot* tamen talia, nedum *illa ipsa*, ea fuisse, quæcunque *Hippocrates* ipse conscripta reliquit, ne suspicio quidem justa, nedum fides aliqua, locum habuerit. Id quod tam *Epidemicorum*, quam *Coacarum Prænotionum*, libri, non solum testatum reddunt; sed etiam sententiæ, partim eædem, partim conformes, reliquis etiam ejus scriptis insertæ, affatim declarant, quod ipse potius plerorumque horum scriptorum Autor extiterit, quàm nudus collector & transscriptor.

XI.

Imò verò, quantacunque etiam ab Antecessoribus suis, aut è *votivis tabellis*, quas in *Æsculapii Fano* suspensas, descripsisse perhibetur, ad ipsum pervenire potuerit; illud tamen imprimis cordi habuisse, satis idoneis argumentis intelligitur, ut propria etiam experientiæ observatione, convenientiam eorum cum veritate deprehendere, operam dederit. In quo studio fieri non potuit, quin ipse etiam passim, non solum *plura* numerò, sed etiam *nova* specie, animadverterit, quibus monumenta sua locupletaverit.

XII.

Quamvis autem peculiari Fatorum bonitate hoc evenisse *Hippocrati* videtur, ut etiam *occasionem* satis uberem adeptus sit, solertiam hanc suam laudabilem in effectum felicem deducendi, dum non solum probabile, sed passim etiam notorium est, quod multi Medicæ Arti addicti, per Praxeos copiosioris & fœcundioris defectum, exoptatum operæ pretium non assequantur, in eruenda solida veritate, tam *historiæ* ipsius morborum, quam *diagnoseos* per ipsum exercitium excolendæ: Ita facile tamen etiam est comprehendere, quod quantalibet ejusmodi subsidia externa, fundum negotii minimè exhauriant, nisi cum *assidui-*

*tate*

*tate* & *ſolertia*, etiam *judicii ſagacitas*, amicô fœdere conſpiret. Unde ſummô utique jure, in ipſa ſua *Lege*, *Hippocrates*, exigit prorſus & requirit, τὴν φύσιν; *indolem*, & *nativam* quaſi acris & ſagacis *ingenii* dexteritatem, pro eo, qui artis ſcrutinio, perceptioni, atque juſto intellectui, animum adjicere ſuſceperit.

XIII.

Quàm *longum* autem hoc paſſim ſit priusquam hæc requiſita, idonei *ingenii*, & faventis *occaſionis*, concurſus, uni eidemque ſubjecto obtingat, uti meritò quæritur; ita ſi etiam hoc evenerit, *longitudinem* tamen Artis, & *brevitatem* vitæ huic ex altera lance appenſam, illud adhuc oſtendit, quod hæc bonæ indolis diſpoſitio, ad effectum & habitum, firmum nempe & bene compoſitum *judicium*, vix ante ævi humani *medium*, pertingant: quin vel levitas juvenilis, asſiduitatem atque continuitatem hujus ſtudii in diverſum diſtrahat; vel multitudo occupationum, à legitimis progreſſibus animos avertat & deflectat.

XIV.

Conſpicuæ huic difficultati, Artis, *amplitudini*, atque *longitudini*, *Duo* ſubveniunt *ſubſidia*, magni æſtimanda, & proinde omni ſtudio conquirenda: *Primum* horum, eſt bona *methodus*; quâ illa quæ ab ipſo *Hippocrate*, & aliis poſt ipſum, ſolertibus indagatoribus, Poſteritatis uſibus conſecrata ſunt, etiam in eum *ordinem* digerantur, ut velut uno conſpectu, atque juſto nexu, non ſolùm animo comprehendi, ſed imprimi etiam, & firmiter ob oculos retineri, posſint. Quâ in re *Hippocratem*, omnem paginam abſolvere non potuiſſe, ut nemò prudens inficiabitur; ita nemo æquus arbiter indignabitur: cum utique *longitudo* Artis, etiam hic ita emineat, ut non ſolum tanquam *de integro* inveſtigare omnia, conquirere, & colligere, ſed etiam eadem in *ordinem* commodisſimum digerere, ſi quidem ab ullo hominum expectari poſſit, certè peculiari prorſus optimæ indo-

lis & ingenii prærogativâ, unum inter multa millia, instructum esse opporterit. Tantò magis, cum distributio atque digestio *methodica*, tale omnino sit negotium, quod ad peculiaris exercitationis disciplinam respiciat: qualem *Hippocratis* temporibus, non inusitatam solùm fuisse, satis certum inauditam etiam propemodum fuisse, satis probabile est. Interim monstro utique simile foret, si tàm longa Posterorum, inde ab *Hippocrate*, successione, difficultas hæc non emendata esset; impetratis utique, à longis jam temporibus, melioribus subsidiis philosophicis, tam *analyticis* quam *Syntheticis*: unde hæc *Hippocratis* querela, pariter ut ejus tempore, æquum locum hodie amplius non invenit; & est etiam multum certè de hoc gravamine detractum atque emendatum : an autem nihil amplius vel potuerit fieri, vel hodieque debeat, problematis dignitate non caret, cujus interim solutionem, cujuslibet solertis arbitri æquo judicio, non solùm relinquimus, sed etiam seriò commendamus.

XV.

Illud autem dignum esset, si quid his expediri potius, quàm expeti posset, omnibus votis, ut huic negotio, in bonam *methodum* digerendæ, tam *Hippocraticæ*, quàm universæ medicinæ, animum & industriam illi maximè adhibuissent, & perpetuò adhiberent, qui rever à *possunt*, & harum rerum scientia atque peritia justa *pollent*: illi verò abstinuissent, qui non *possunt*, neque *pollent*. Sed perversus rerum humanarum fluxus atque casus, turbat communiter ordinem; ut qui *possent*, non *velint*, aut impediantur: qui *vellent*, non *possint*, & deficiant.

XVI.

Redacta verò in bonum ordinem atque *methodum*, monumenta & præcepta medica, quantum rescindere possint de *longitudine* Artis, vix quispam tam lippus fuerit atque hebes, quin satis perspicere valeat. Unde certè absurda est, imò stolida, imprudentis hominum vulgi illa phantasia, quasi qui-

ſi quilibet Medicinæ novus ſectator, *propriam experientiam*, ægrorum periculo & diſpendio, de integro conquirere neceſſe habeat. Dum tota hæc difficultas, ſola illa, modo rectè obſervata, *methodo*, facile evaneſcit, ſi novitius talis Practicæ Medicinæ ſectator, poſt legitimam *Pragmaticam Theoriam*, ſeu rationalem ſcientiam, *experientiæ* in eo litaverit, ut veram atque ſolidam *Hiſtoriam morborum* pro horum firma *Diagnoſi*, ſtudiosè ſibi acquiſiverit: & *experientiæ pharmaceutico-therapeuticæ*, *ſelectum*, fideliter doctus ſit. Ita enim nulla ſubeſt ratio, quamobrem ille in ægris potius *diſcere* demum neceſſe habeat, quam mox *intelligere* poſſit; & non tàm cœco *tentamine* experiri, quàm prudente uſu *exercere*, Artis & remediorum poteſtatem.

XVII.

*Alterum* autem ſubſidium, ut ab *Hippocrate* minimè neglectum aut deſertum eſt, ita, ſepoſitis inutilibus votis de præterito, poſtulat certè, imò flagitat magis magisque & melius, in ſuppetias advocari. Rectè certè *Hippocrates*, *Naturas eſſe morborum medicatrices*, prædicavit atque inculcavit. Quantum in hâc animadverſione rectè comprehenſa, *longitudini* Artis reſcindendæ ſit ſubſidium, mereretur certè longe prolixius enucleari atque declarari, quam detritæ illæ penitus paleæ, quibus ſemper de novo triturandis, tantum laboris, temporis, verborum, & chartarum impendere, perverſi mores ferunt.

XVIII.

Hic enim reconditi jacent theſauri illi, *abbreviandæ*, & juſtis limitibus circumſcribendæ, artis, ſine quibus illa, non ſolùm in liberum atque vacuum, ſed immenſum ſpatium, temerè evagatur, labitur, imò præceps ruit: & non modò ſpem atque rem, ſed ſeipſam perdit, ac deſtituit.

XIX.

Ad hos cancellos, & ſub hunc titulum, reducendæ veniunt numeroſæ illæ Hippocratis *Prognoſes* atque προῤῥήσεις,

σεις, de *eventibus*, partim *salutaribus criticis*, partim infaustis *Symptomaticis*, partim *mediis* atque dubiis, imprimis *acutorum* variorum, affectuum. Circa quos illud solùm, ut ab *Hippocrate* non satis abundè observatum, ita tantò magis ab aliis observandum, restat, ut non solùm *peculiares* tales, & *minus perpetuos*, eventus, externis signis & productis conspicuos, tanquam *solos* & seorsim, consignent atque notent: sed in genere etiam illud, quicquid morbis, dum innumeris exemplis *sponte Naturæ*, sine Artibus *externis*, sive *salutariter*, sive *funestè*, decedunt, imprimis tamen in priore casu, *perpetuum* potius sit, fiat, & eveniat.

XX.

Ita enim *duplex* commodum, extra omne *dubium*, redundaturum esset in ipsam Artem; nempe primò, ut *in genere*, semper ante oculos habere meminisset, *concursum* hunc ipsius *naturæ*, seu *activitatis* illius *vitalis*, quæ etiam in ipsis adhuc tranquillioribus rebus, quam sanitatem vocamus, tamen *indesinenter*, non alia, quàm tali verè *therapevticâ* ratione atque methodo, conservationi corporis invigilat, ejusque satagit.

XXI.

*Secundò*, ut etiam jam magis *in specie*, discat atque comprehendat, *vias* atque *methodos*, jam magis *particulares*, quibus Natura, pro varietate morborum, quàm maximè utitur. Ut nempe ita verum nervum atque usum comprehendat assertionis illius, quæ sine debita circumspectione, vix ultra dicterii existimationem ascendit, quod *Natura nihil faciat frustrà*. Quod ipsum tamen, sicut aliàs in natura *sibi relicta*, sinceræ Veritatis est; *sensuum* tantum *lenocinio*, & malis *assuetudinibus*, hæreditariis, aut per scandalum susceptis, in diversum hic abeuntibus atque trahentibus: ita eximiè certè valet in tali constitutione, ubi per inductam aliquam necessitatem, natura adigitur, ut usitatas illas suas *ordinarias* curas, atque assiduitates *activas*, *extra ordinem*, nempe

pe ad præsentis necessitatis proportionem, *augeat* ac intendat. Ubi magni iterum momenti erit, admonitio illa *Hippocratica*: quod *Natura sibi vias inveniat*; & ex hâc formata vera Cynosura Practica: quod *Natura ducenda sit, quorsum vergit.*

XXII.

Ubi utique prolixâ adhortatione non erit opus, ut hæc monita magis secundum *genera*, aut *subalternas species*, accipiantur, atque applicentur; quàm secundum *individuales, accidentales* declinationes: nisi quod hic etiam *adsvefactæ* peculiares inclinationes, & ut loqvuntur, *vergentiæ*, non penitus extra considerationem reponendæ sint; quæ nimirùm non rarò, etiam aliquid peculiare suadent. Dum interim quàm maximopere omninò expedit atque convenit, *genericas* potius, utpote magis *essentiales* & *perpetuas*, horum generum inclinationes intelligere; utpote è quibus, & *Pathologiæ*, & *Therapiæ*, solidiùs fundamentum innotescit: dum è *particularibus* illis, declinationibus potius, quàm inclinationibus, longè promtius est, ut intellectus confundatur, quàm verè erudiatur, si genericas illas comprehendere prætermiserit.

XXIII.

Exhibent hujus rei documentum immortale & perpetuum, tùm *Epidemicorum* Hippocratis libri, tùm alia pleraque, quæ de *Crisibus* annotavit. Dum vix non omnes, qui quantacunque solertia annotationes has in usus suos practicos transferre susceperunt, nonnisi summam confusionem incurrerunt. Eo usquè quidem, ut dum *Criticas* tales *Ecrises*, pro *essentiali* febrium effectu aut eventu, interpretabantur; interim tàm rarò has perfectè evenire deprehenderent: non solum *Ariadnæi* existimati fili, usum penitus amitterent, sed planè tandem de tota rei veritate, & Hippocratis fide, sinistrum conceptum formarent.

XXIV.

Paucissimis nempè illas rei totius conditiones agno-

ſcentibus, 1) quod *Criſis nulli febri eſſentialis & perpetuo* ſit: nempe *perfecta* atque *exquiſita.* 2) Ubi autem evenit, ita ipſius Naturæ ductu atque auſpiciis inſtruatur, ut illam *ſibi relictam*, aut certè nullis *heteroclitis* ſeductionibus turbatam eſſe oporteat: 3) Et tunc demum ſolerter animadvertendum veniat, non ſolùm *quali* febri, *certa* criſis ſpecies, veluti ſolennior exiſtat: 4) ſed quod etiam, uni eidemque febri, pro diverſo ejus *ſucceſſu*, etiam diverſæ *ſpecies κρίσεων* obtingere poſſint: nempe vel *ſinceriores*, per *liberam*, *plenam*, atque *copioſam*, evacuationem *extrà totum* corpus; vel per *depulſionem* ſolum à partibus nobilioribus, internis, ad externas, *Parotides*, aut alias *Apoſtaſes non-Apoſtematodes.*

XXV.

E qua conſideratione, non uti decebat, perpenſa, prognatæ ſunt vanæ illæ expectationes; ut in febribus, per varia medicamenta atque methodos, vel utiliter *ſublevatis*, vel planè *turbatis*, idem eventus expectaretur, qui à ſola natura, *ſibi relicta*, & inſuper ſibi *rectè conſtante*, expectari quidem poterat; ſed nequaquam *abſolutè* & *perpetuò* expectari debebat. Dum nempe, quoties etiam ipſa natura, *ſucceſſivè* atque placidè, *detrahere* poteſt materiæ morbidæ vel quantitati, vel qualitati, ad criticas tales ſimultaneas pugnas non reſpectat, aut ad illas ſummam totius negotii reſervat: Sicubi verò non illud, ſed hoc agitare animadvertitur, prudentiam utique efflagitat Artificis, ne ille, ut abundè & ſollicitè quidem, inculcat Hippocrates, vel intempeſtivè atque immaturè, vel prorſus in adverſum, imò ſolùm diverſum, moliendo, & ipſe nihil boni efficiat, & meliores Naturæ intentiones adhuc inſuper turbet & peſſumdet.

XXVI.

Unde juſtiſſimum certè eſſet, ut veram ſcientiæ, imò conſcientiæ rationem inirent illi, qui tanquam *axioma* quoddam proferunt, *cordatum Medicum non debere expectare Criſes; ſed Arte occupare, & febres, ante illas, veluti* fa-

*fatales ambiguos terminos, expugnare.* Licet enim *prius* hujus asserti *membrum*, dummodò rectè intellectô totô negotiô, non simpliciter reprehendendum veniat: cum utique *Crises* strictè dictæ, nulli febri *absolute essentiales* & perpetuæ sint, adeoque & eventus illarum & effectus, perpetuò ambiguus haberi mereatur: Tamen quod *secnndum* membrum attinet, quamdiu non *certa & perpetua methodus, firmæ & constanti experientiæ* consentanea, stabiliri potest, quæ animosas illas spes, *febres recte atque ordine expugnandi*, in tuto collocet; manebit perpetuò in ambiguo, ne *Artifex* potius *turbet* meliores naturæ conatus, quam eosdem rectè sublevet: adeoque talis *singularis pugnæ necessitatem* Naturæ *subtrahat.* Quæ res profectò prudentissimè ad animum revocari, omnibus modis meretur.

XXVII.

Prælibavimus jam hac ratione atque oratione, quæ fortè videri possent ad subsequentia reservari potuisse; sed cum tàm ad *longitudinem* Artis coërcendam, quàm ad *experimenti periculum*, & *judicii difficultatem*, pertineant, non videbimur æquis arbitris ordinem turbasse: cum præsertim æque promtum fuerit, hæc ad illa applicare, quàm ab illis demum ad anteriora referre atque revocare.

XXVIII.

Pergit Hippocrates, & *Tempus Acutum* arguit Καιρὸς ὀξὺς inquit; καιρὸς, non simpliciter & absolutè, *tempus in genere*, denotare, sed valdè usitate, peculiariter de *Opportunitate* usurpari, notissimum est. Ita etiam τὸ ὀξύ, fortè magis apud *Hippocratem*, quàm in reliquo communissimo usu, brevèm temporis *periodum*, & *festinatum exitum* atque *eventum*, denotare, non valde multo magis ignotum est. Neque illud quidem ipsum, quod peculiariter *morbos acutos*, τὰ ὀξέα τῶν νοσημάτων, & *Febres acutas*, aliquibus quidem, & passim jam tactis locis *nominatim* distinguit; passim autem, τὰ ὀξέα simpliciter nominando, hoc ipso attentionem Lectoris, si

non in ambiguo relinquit, tamen *acuat*, ut rectè expendat, quid *morbis acutis* per se, & quid *Febribus* illarum comitibus, magis propriè competat, & ad utrumlibet propriè referendum veniat, exquisitè perpendat: adeoque verum sensum illarum observationum, quas *Hippocrates* de talibus consignevit, ad optatum usum transferat.

XXIX.

Quandoquidem luce meridiana clarius est, quod apud Posteros Hippocratis, ingens confusio ex eo orta sit, quod illi τὸ ὀξὺ, *simpliciter* ad *febres* transferendo, quod ipse ad *morbos* potius, propriè & eminenter applicuit; ab hoc ipso errore incurrisse videntur in frustrationes illas, quas circa totum negotium κρίσεων, posteritatem perplexam habuisse, & alibi prolixius monuit D. D. præses: & nos quoque, ubi de *Crisi*, sermo erit, iterum attingemus. Interim præsente locò illud valde prolixè agere, non admodum necessarium judicemus.

XXX.

Suffecerit itaque, in præsentia, illud solùm dixisse, quod etiam de hoc textu idem valeat, quod de reliquis monemus; nempe, quod ille verus sit, tàm de re *in se* considerata; quàm *respectu Artis* æstimata. Nempe, quod multi, & propemodum magis sontici, morbi, tàm *in se*, valde breve tempus, involvant; quàm etiam *arte*, properatum, *tempestivum*, sed etiam rectè *maturum*, auxilium flagitent. Adeòque etiam *opportunitas* illis rectè subveniendi, brevis, & quasi *præceps* existat. Id quod ad qualemcunque considerationem *brevitatis vitæ, longitudinis Artis, periculi Experimenti, & Difficultatis Judicii*, uti magnopère quadrat: ita etiam ad harum rerum æstimationem rectè colligendam, non exiguum momentum afferat.

XXXI.

Succedit *tertium* Aphorismi monitum, *Experimentum esse periculosum*. Hoc locò tàm Græca lingua, quàm Latina

am-

*ambiguitatem* aliquam involvit; quam Latina quidem eximere in promtu habet, Germanica verò etiam hoc facere ſolet. Vocabulum Πεῖρα, tàm *tentamen*, quàm *exercitium expertæ* rei, connotare, notum eſt; *Latinis* non obſoletum æquè eſt *tentaminis* nomen: interim pariter etiam notum, quod *experiri*, & *experimentum capere* aut *facere*, tàm de ſimplici *tentamine* dicatur, quàm de *exercitio* rei compertæ repetendo: Germani exactiùs diſtinguunt; einen Verſuch, und eine Erfahrung. De *priore*, hoc loco, Hippocratem loqui, quàm maximè probabile ſit. Sicut enim verum atque ſolidum, conſtanti experientiæ ſuperſtructum, artificium, *tentaminis* nomine iniquè cenſeretur, ità quid in tali experimento peragendo, *periculi* ſubeſſe poſſet, nemò arbitror perſpexerit. *Tentamen* autem, rei eſſe in *ambiguo* adhuc poſitæ, nemo utique neſciet. Adverſus pericula autem præſentia, & neceſſitates jam urgentes, ambigua *tentamina* opponere, rem eſſe periculi plenam, tanto facilius eſt intelligere, quanto inſuper incertitudo illa tentaminum, præterquam quod propoſito non ſatis quadrare aut ſatisfacere intelliguntur, etiam majore difficultate premitur, ne fortè inconditum aliquid, & negotio quod geri debet adverſum, poſt ſe trahere poſſint.

XXXII.

Laudandus autem omninò eſt Hippocratis candor, qui & hic, & multis aliis in locis, quàm longè abfuerit ab animoſa illa, ſi non plane jactabundâ, fiduciâ, de artificioſorum remediorum *certitudine*, ingenuâ hâc confeſſione, imò admonitione, affatim teſtatum reliquit; unde etiam alibi manifeſtò profitetur, *raró* hôc in genere *exquiſitum aliquid reperiendum occurrere*. (lib. de priſca Medicina) & *laudat* adhuc *eum Medicum, qui tantum quàm minimum delinquat*.

XXXIII.

Non autem certè tam levi brachio reponenda, aut potius ſeponenda, eſt hæc *Hippocratis* admonitio, ſed amiciſ-

ſimò potius complexu prehendenda, imò retinenda. Inſciorum eſt & imperitorum, illa audacia, qui auditas qualescunque traditiones, de efficacia quorumcunque remediorum, aut, ſub peculiaribus circumſtantiis, experimento deprehenſos bonos effectus, cœcô impetu, & improvida credulitate, ita mordicus apprehendunt, ut dum ipſi temerariam fidem & fiduciam, ad generalem & univerſalem poteſtatem talium remediorum, temerè extendunt, non bonâ ſolùm, ſed optimâ fide egiſſe ſibi imaginentur, ſi vel maximè poſt hæc moneantur, aut ipſi deprehendant, quod ipsâ fide ſeu credulitate decepti ſint. Quamvis enim non totam culpam ſubire videantur; non tamen ſemper, imprimis pro rei diverſitate, & gravibus commiſſis erroribus, levis ſolum culpæ ſeſe obſtringunt, ſed latæ etiam: propterea, quia in gravibus offenſis, ignorantia non excuſat, niſi invincibilis ſit. Dolendum autem certè eſt, quod tot ſeculorum continua multiplex ſiniſtra experientia, adeò non ad animos ejusmodi hominum ſufficientem aditum invenerit, ut potius tota propemodum talium turba, non ſolùm parata ſit, Jovem lapidem jurare, quod, quæcunque vel audiverunt, vel legerunt, vel temerè viderunt, experimenta, ſolida ſint & abſoluta: ſed etiam indies exempla non deficiant, ubi infelicem hanc credulitatem, vel in proprium ſuum corpus transferre, & temerariis tentaminibus, pro certis experimentis, in ſe ipſos atque ſuos graſſari, nihil dubitent. Quorum hic præcipuè ſit culpa, piget, & odioſum eſt, quiritari: Deteſtandum autem omnino ducimus illud facinus, ubi *Materiæ Medicæ*, vel tàm confuſi catalogi, in omnium manus exponuntur; vel phaleratis & magniſonis declamationibus, ita extenduntur atque exornantur, ut creduli, & ſimul temerariè ambitioſi, cœci tales Experimentatores, velut inviten-tur, ad nefarios ſuos auſus, tali fundamento ſuperſtruendum.

XXXIV.

Digna certè eſt altiore penſitatione, indignatio illa, quam

non

non pauci propiorum ætatum Medici, hinc inde profitentur, adversus translationes Medicorum Practicorum Scriptorum, in vernaculam lingvam; Sed ut *Silenos Alcibiadis* memorant, Icunculas fuisse, ea structura versatiles, ut una sui complicatione, ridiculum aliquid, aut obscœnum sisterent; inversô verò situ, serium planè typum & figuram exprimerent: ita in hac etiam animadversione, illud quidem cavendum est, ne metus solùm aliquis, & invidia quasi, subsit, ne secreta Artis ad vulgus dimanent, adeoque professi Artifices vix inveniant quod agant. Sed potius illud fundamenti loco sit, ne credulitati temerariæ fomes ita luculentus subjiciatur, quò illa ad temeritatem & infelicia tentamina accendatur. Puto certè non longisſimè hinc abesse, gravem illam divinæ legis execrationem, quâ publicum anathema sancitur in eum, qui cœco offendiculum posuerit in semita. Sed nostrum non est, hanc causam perorare; qui potest sapere, sapiat. Illud pro certo habemus, non ultimum esse divinæ vindictæ instrumentum, ambitiosum Artis Medicæ abusum: ut dum mortales à sui similibus auxilium cum tanta fiducia præstolantur, perniciem reportent. Quod ut à se abesse velit, quilibet cordatus Artis hujus Sectator, à divina gratia, bonam mentem ad solerter discendum atque indagandum, & felicem successum, ad legitime destinatum scopum, indefesſis votis exorare laborabit.

XXXV.

Hactenus optimè inter se cohærent monita hæc Hippocratica; *Vitam hominis ad longitudinem atque amplitudinem Artis comprehendendam, esse brevem:* quia etiam *tentamen, & experimenti captatio, periculum* adhuc involvant. Ut adeò *longum* utique sit, priusquam certitudinem aliquam experientiæ assequi atque adipisci obtingat. Pergit: *Judicium esse difficile.* Κρίσεος vox, in omni reliqua applicatione, nihil ambiguitatis involvit; dum autem à medica schola usurpatur, sermonibus materiam præbet. Notisima nempe est vocis hujus applicatio, ad exitus illos & eventus Febri

brium, quibus veluti decernatur, vel morbo, vel Naturæ, Vitæ Præsidi, Victoria.

XXXVI.

Quamvis autem, uti mox dicemus, quàm maximè probabile sit, *Hippocratem* præsente locô, de *intellectuali judicio* & *discretione*, loqui voluisse: non tamen abs re esse putamus, etiam illud attingere, quomodo hæc assertio, in sensu Medicæ scholæ proprio, vocis κρίσεος, veritate sua non destituatur. Strictô sensu Medicô, dicitur *Crisis*, eventus ille *decretorius*, qui sub *peculiaribus*, & admodum *exquisitis*, imprimis *temporis*, circumstantiis, vel *morbi* de corpore atque vita ægri, vel *Naturæ* atque vitæ, de morbo, *victoriam*, decernit atque stabilit.

XXXVII.

Hoc certè etiam *Judicium*, disceptationis atque concertationis inter morbum & Naturam operosâ ambiguitate *difficile* esse, nemò temerè negaverit. Et tantò minus quidem, si illud satis animadverterit, *Crisin* hujusmodi non esse negotium, quod ulli *Febri*, nedum alteri cuicunque morbo, simpliciter & *absolutè directè*, & *essentialiter*, competat. Sed potius reverà *per accidens*; quando, meliore alioquin successu, non *partitis vicibus* detrahi potest hostili materiæ: tunc demum velut ultimus hic conatus, tanquam collectis in unum auxiliaribus viribus, instruatur.

XXXVIII.

Repetimus autem meritò, & quidem iterum, quod de *Crisi stricte* dicta hic loquamur. Quæ nempe ipsis *septenariis*, *confertim*, *breviore* quodam impetu & *connisu*, absolvenda intelligitur. Quamvis enim à censu *Criseos* nequaquam excludamus, & tota tribu moveamus, illa *febrilium* morborum genera, quæ absolutè *Eccrisin* efflagitant; *Variolas*, *Morbillos*: neque contumaces esse velimus adversus illos, qui *Pestem* ipsam, tanquam *per Essentiam*, *Bubones* aut *Anthraces* excludere debere, & hanc unam esse salutarem ejus

viam,

viam, arbitrantur: Videt tamen quilibet, quod hi motus excussorii, *accensi* solùm haberi mereantur *Criseos*, famosô sensu sumtæ. Inter quos, & hanc *Crisin*, illa utique intercedit differentia, quod hæ elisiones, omninò *de essentia* sint illorum Affectuum; reliquæ verò *Crises*, nonnisi *secundùm quid*, varii generis, proprie tamen *inflammatoriis*, febribus, *accidant* magis, & superveniant, quàm *absolutè* competant: adeò, ut si periti Censores Magistratum gererent, famosæ illæ Crises, his potius *accenseri* deberent; quàm vicissim.

XXXIX.

Interim hujus etiam *Criseos difficultatem*, vera ejus historia, ab *Hippocrate*, sparsim licet, tamen satis graphicè, delineata, difficultatem ejus satis comprobat; dum enim ad *septem* dies, aut *sex* potius integros, cum morbidâ materia colluctans Natura, non solùm multa & assidua commotione operosâ *fatigatur*; sed etiam *sollicita, vigil, inquieta, anxia*, & *incerta* de eventu, lassatur: & interea, præter *internas* illas difficultates, quas refractaria ad *secedendum* atque *secernendum* materia, naturæ objicit, etiam *externæ, corporis* atque *animi, alterationes* intercedere, atque novas dare possunt: reapse verô, verior atque planior methodus, *successive* potiùs, quàm ultimo & unito impetu, melius procedere posset ac deberet: Imò tandem *Parotides*, & his analogi alii *Tumores Apostematodes*, exquisitiore *criticô* motu expulsi, non totum *morbum* atque *causam* ejus, simpliciter tollunt, sed *sedem* solum mutant; unde *retrogradis* discussionibus expositi, *periculum* adhuc fovent: imò eò prolapsi, certissimum, & vix denuò superandum, inferunt: Ex his omnibus, inquam, hanc etiam *Crisin*, verè *difficilem* habendam, nemo credo dubitabit. Hæc de *Criseos Naturæ*, ægro propriæ, difficultate.

XL.

Sicut autem probabile utique videtur, *Hippocratem*, *Aphorismo* hôc, de *artificiali* & *intellectuali* potius *Crisi*, usitatô vocabuli sensu, loqui voluisse, quam de tali *Medicis*

D no-

nominatâ; Ita *difficultatem* hujus vere agnosci posse, vix aliquod restat dubium. Quamvis aliorum labores, *Commentarios* in Aphorismum nostrum orsos, in subsidium prolixè advocare, nobis non placuerit; placet tamen *Galeni* ad hunc locum nota, qui etiam *difficultatem judicii*, cum *experimenti ancipiti effectu*, connectere, æquum duxit. Nempe animadvertens, quod post multa & varia in ægro tentata, *difficile* sit *judicare*, quidnam ex iis, vel profuerit morbo, vel obfuerit? Ut tamen res pleniùs atque distinctius consideretur, occupatur *discretivum* Artificis *judicium* de morbis, partim circa *Diagnosin*, partim circà *Prorrhesin*, partim *Prognosin*, partim *methodum Therapevticam* ordinandam, partim denique *experimentum Pharmacevticum*, firmum atque ratum eligendum, & morbo feliciter adhibendum.

XLI.

*Diagnoseos difficultas*, maxima certè fuit, tùm *antè* Hippocratis tempus, tùm ipsô adhuc ejus tempore. Id quod nusquam certè satis enodata aut clarè discreta, tùm *Febrium*, tùm plerorumque aliorum morborum *historica* descriptio, per universa *Hippocratis* volumina, satis demonstrat. Siquidem neminem attentum lectorem fallere potest, quomodo ipse *Hippocrates*, hinc inde, partim communi appellationi immorans declaret; (exemplo Febris φονώδεος seu *lethiferæ* Lib. II. de Morb. tactæ; quam nullam aliam, quàm *cholericam*, aut *Causoden* fuisse, manca licet atque nimium brevis, qualiscunque tamen descriptio, satis ostendit: dum *Epidemicam* fuisse, nullo indicio notatur:) partim *accidentalibus* potius, *individualibus*, circumstantiis intentus, reliquam totam, vel *genericam* magis, vel quantumcunque *specificam*, indolem, non satis exequatur. Confirmat hoc ultrà, *Galeni* adhuc tempore regnans *Diatritariorū* Secta; qui solùm *continuam* febrem ab *intermittente* dignoscere, ante tertii diei circuitum, non audebant. Ut de *Methodicis*, exquisitioris *diagnoseos* multò magis incuriis, nihil dicamus.

Cer-

Certè verò *Galeno*, nisi per manifestam injuriam, nemò eripere potest, promeritam laudem, quod in meliùs atque sagaciùs instruenda morborum historia, solertissime *Hippocratis* vestigiis ita institerit, ut laudatissimam divi Senis industriam, & ab hoc præmonstratam viam, studiosè sequendo atque imitando, hanc medicæ doctrinæ partem, nimiò jam locupletiorem reddiderit atque ad posteritatem transmiserit. Unde tàm vulgò dicti *minores Græci*, tantò feliciores progressus fecerunt hac in parte, quàm *Arabes* etiam, ad illustrandum hoc negotium, feliciter concurrerunt.

XLII.

Sicut autem toto hoc quantumlibet studio, plus insudatum est *singulorum* morborum, *ut singulorum*, historiæ consignandæ; quam ut vel ipsorum inter se *conspiratio*, vel invicem *dependens connexio*, vel ab aliis prægressis, ad alios subsecutos nata *prædispositio*, vel ex hisce rebus prognascens *Metaschematismus*, (præcipuè multum innitens translationi ejusdem *speciei* affectus, in alias *regiones* atque *loca* corporis,) cum sufficienti circumspectione atque attentione in subsidium adhibita fuissent: præterea etiam, non solum in *muliebri* sexu, multi affectus, confusè atque generatim, *Utero* simpliciter adscriberentur: in utroque verò (quod in fœminino, propter evidens negotium *menstruarum* exonerationum, tantò minus fallere contemplationem, debebat) *Hæmorrhagicæ dispositiones*, *inclinationes*, *congestiones*, & harum *consecutiones*, partim *stagnatoriæ*, partim *spasticæ*, propterea, ut credibile est, in exiguam, si vel ullam, considerationem venirent, quod ipsæ *hæmorrhagiæ*, (perperam neglectô *Mensium* negotiô,) pro *morbo* simpliciter, haberentur: Mansit certè adhuc ingens *hiatus*, in pertexenda vera morborum *historia*, & secundum hanc, *Diagnosi* è difficultatibus suis expedienda.

XLIII.

Quamvis enim tantum absit, ut negemus, aut usquam dissimulemus, ut potius magnopere commendemus, imò in-

inculcemus, quod, (si vel maximè quasi aliud agentes) Antecessores, nequaquam ita planè destituant hujus considerationis fundamenta, ut potius passim suppeditent ansam & materiam, quod ipsi ex instituto agere, non æquè sategerunt, adhuc tanquam per spicilegium aliquod, ex eorum monumentis colligendi: Tamen, cum ipsi viam hanc æquô gressu non calcaverint, neque præmonstraverint; ulteriore certè, & solertiore, animi adversione opus est, ad eandem complanandam, & justo incessui atque progressui sternendam. Quid autem vera atque solida *diagnosis*, tam ad luculentiorem *Ætiologiam pathologicam*, quàm melius fundatam *therapiam*, magni momenti adferat, supervacuum ducimus prolixius testatum reddere.

XLIV.

*Prorrhesin* Hippocratis, quamvis multa *prognostica*, illi inseruerit, ita intuemur, ut non tàm *prædictionem* eventuum, quam *præceptionem* seu *præsensionem*, ut ita loqui liceat; *caussarum prægressarum*, *antecedentium*, & ex parte *conjunctarum*, pro *objecto* habere, intelligi possit. Ut nempe Medicus, *Pathologiæ* atque *Praxeos*, è vera *historia ortus*, & *decursus* atque *exitus*, morborum, rectè gnarus & peritus; si ipsi commemoretur, quibus symptomatibus sensibilibus, æger aliquis laboret; Medicus ita doctus, non tantum veram morbi *speciem* agnoscere possit, eique nomen plus minus usitatum assignare: sed etiam, *prægressas* ad hanc occasiones, *antecedentes dispositiones*, *συζυγίαν* hujus cum aliis affectibus, imò in futurum adhuc *eventibus*, ita proloqui, *præfari*, & veluti *divinari* valeat, ut non opus habeat ipsorum ægrorum propria, prolixa, horum omnium aut singulorum, commemoratione aut suppeditatione.

XLV.

Declarat hanc rem ὀφθαλμοφανεςῶς, deductio illa Hippocratis, quam *Lib.* II. *Prorrhet.* versus finem, sufficiente prolixitate, exhibitam, D. D. Præses peculiari Programmate,

Pa-

Praphrafi inftruere , & fuæ evidentiæ afferere, infigni ufui aptum laborem judicavit. Dum nempe, poft *magno-*,, *rum lienum* mentionem, fucceffivè ad *Coxendicum* dolo ,, res progrediens,fuadet,ægros,tanquam *prædicendo* & *præ-*,, *fagiendo*, interrogare , atque examinare, annon ante hunc,, morbum, qui nunc illos prehendit, variis *ibi allegatis* affe ,, ctibus tentatos aut infeftatos fe fuiffe, recordentur? Quæ,, nempe pleraque omnia, ad *commotiones*, *inclinationes*, *decu-*,, *bitus* feu *congeftiones* & tandem *contentiones,hæmorrhagi-*,, *cas*, (quos *apparatus hæmorrhagicas*, D.D. Præfes appella-,, re folet) collineare, non difficile fuerit agnofcere. Ubi,, digniffimam notatu affeverationem interponit Hippocrates: *Hæc enim omnia*, inquiens, *fatebuntur*. Quàm propè hîc abfuerit adhuc Hippocrates, à peritisfimo atque folidisfimo *nexu*, multorum talium morborum, inter fe invicem *fymbolizantium*, ftabiliendo, illi intelligent, qui hanc rem folertiùs ad animum revocantes, non folum fuo & ægrorum fuorum, fed publico totius Artis ufui, fagacius, quam propemodum inde ab Hippocratis tempore usquam adhuc factum effe apparet, cordi habebunt.

XLVI.

Ubi certè nemò æqvus judex, odiofum aut invidiofum declarare fufcipiet, in ipfo præloquio jam tactam, præpofteram illam deprædicationem, quam aliqui de *abfoluta* Hippocratis in Arte falutari *perfectione*, inftruunt. Qua nempe *tribus* omnino modis , imperitisfimè & imprudentisfimè hallucinantur. *Primo* , dum non fatis perpendunt, quod ipfe *Hippocrates*, fi has res, quantâ decet, & omnino *dignum* eft, *evidentia*, penitus perfpectas , & pro dignitate intellectas, atque judicatas , poffediffet; quod tunc non abfolvi poffit, ab illa culpa, quod non concinniore & exactiore deductione , negotio tanti momenti exquifitius tractando atque tradendo, laborem illum atque operam impenderit, quem tanto numero & prolixitati, aliorum fuo-

rum ſcriptorum, (quæ ad hunc ordinem rectè inſtructum comparando, non poſſunt niſi confuſionis, & rhapſodicorum fragmentorum nomine notari,) adhibuit.

XLVII.

*Secundò*, quod hac ratione indelebile ſtigma inurant, omni poſt Hippocratem ſcholarum Medicarum Poſteritati; quod rem tanti ponderis & momenti, ad medicam doctrinam in veriorem *Artis formam* redigendam, non ſolertius & prudentius applicuerint atque adhibuerint: ſi, quod contendunt, Hippocrates, vel hoc, vel aliis plurimis locis, *totam* hanc rem, ſibi exquiſitè perſpectam, ita luculenter jam propoſuerit, ut nullâ aliâ curâ, ſolertiâ, aut ſagacitate, opus habuiſſent, quam ſimplici exſcriptione, aut in faſciculum aliquem collectione.

XLVIII.

*Tertiò* verò, ſeipſos certisſimæ culpæ ignorantiæ & invidiæ obſtringunt; dum, quod Hippocratem ita jam pridem, non ſolum *ſubolfeciſſe*, ſed ita tradidiſſe atque abſolviſſe contendunt, ut alia admonitione, commendatione, atque commentatione, nihil usquam opus eſſet: & tamen ipſi, plerisq; harum demonſtrationum, etiam cum contentione & contemtu, contradicunt. Eoque ipſo, nihil verius oſtendunt, quam quod nec *Hippocratem*, nec rem ipſam, intelligant. Prudentiùs certè undique acturi, ſi potius illam quàm meretur, laudem, quam æquisſimam ipſi tribuimus, imò vindicamus, ſervarent; quod impenſo Artis inſtruendæ ſtudio, nihil propemodum prætermiſerit, quod ulteriore laudabilibus ejus veſtigiis inſiſtente, curâ, ſtudio atque ſolertia, ad propoſitum ipſi primo ſcopum, penitus dirigi & deduci, queat & huc plurimum emolumenti omnino conferat.

XLIX.

*Prognoſticum judicium*, negotium eſt, certè ab Hippocrate ita fideliter atque ſolerter, non magis commendatum, quàm inſtructum, ut, quotquot ejus Poſterorum veſtigiis

ejus

ejus cum cura inhæſerunt, longisſimè poſt ſe relinquant, omnes illos propiorum temporum Rhetores, qui partim verborum phaleris, partim ſpeculationum alieniorum coloribus, *Ætiologias*, *phyſicas* magis quàm *medicas*, in infinitum extendentes, hoc Artis Medicæ decus vix non in oblivionem adduxerunt, & in pulverem ſepeliverunt. Quotusquisque enim, quæſo, talium, illud cordi habet, ut ultra *generalisſimam*, *periculoſioris*, aut *ſecurioris* eventus, brevem recordationem, de Prognoſi *ſtrictiore*, Hippocratico ſenſu, inſtruenda, ſolertius inſtruat philiatrum? Cujus rei ſi nullum aliud præſtò eſſet teſtimonium, illud unum abundè ſufficeret, quod per portentoſas illas circa *Febrium Pathologiam* ſpeculationes, jam propemodum omnis *diſtinctio* & *diviſio Febrium*, in oblivionem adducta ſit: & medicationibus, phantaſiæ tali comparibus, revera etiam *typi* febrium, in eas perturbationes adducantur, ut fieri vix poſſit, ut veritas *propriæ indolis*, febrium, ſecundum has diviſiones, amplius inveniri valeat; Adeoque *difficultas* illa *judicii*, quam Hippocrates in rebus adhuc melius ordinatis, tamen arguendi juſtam cauſam invenit, his tricis atque turbis, penitus inexplicabilis reddita videatur. Unde *ſigna coctionis*, ſigna qualiscunque *Criſeos*, diſcretio *periodorum Criticarum*, à *neceſſitate Critica*, (dum *Criſis potius periodum*, *quàm periodus Criſin*, *ſequi* debet,) non ſolùm à *genio febrium* non animadverſo, ſed etiam à *turbidis* illis artificiis, communiter utique ita pervertuntur, ut mirum potius eſſet, ſi ad huc locum inveniret, his rebus tanquam fundamento ſuperſtruenda *prognoſis* verax, quàm quod non ſuperſtrui poſſit.

L.

Quî vero aliter fieri poſſet, cum penitus adverſa viâ hi auſus incedant, quam qua Hippocrates ambulavit. Dum enim hic, tàm de *Diætâ Acutorum* præceptis, quam de *Medicatione Febrium* fragmentis, & multis *prognoſticorum* effatorum ſpeciminibus, nihil conſtantius, atque evidentius com-

men-

mendet, imò imperet, nisi *continentiam*, *abstinentiam*; exactam *observationem*, *coctionis*, & *vergentiæ* Naturæ: *nihil temerè movendum*, nihil *intempestivè tentandum*, *nihil innovandum*, *nihil turbandum*: sed *Naturam, quorsum vergit, ducendam*, eique subserviendum atque subveniendum. Hi ausus, ex adverso, circa omnia hæc præcepta nihil audacius agunt, & agendum præcipiunt, quàm omnia contraria: instructa insuper Panoplia talium *Pharmacorum*, quæ, licet manifestò *contrarium* exequantur ejus, quod ipsi demandasse hic illic adhuc videri volunt, tantum tamen abest, ut ab his desistant, aut abstineant, ut potius in dies, & numerum, & apparatum augeant. Sed quid juvat inutilibus, adeoque otiosis magis, quam odiosis insuper, indiciis, hæc coarguere? quæ Deo & diei unicè commendanda sunt.

LI.

*Difficultas judicii* in rectè instruenda *therapia*, ut fieri non potest, quin *difficultatem*, quæ veram *historiam* morborum, & consequenter etiam solidam horum *pathologicam ætiologiam* adhuc stipat, presso pede sequatur; ita vix prolixiore demonstratione indiget. Sicut autem hoc etiam agere hucusque suscepimus, ut aliqua his rebus solamina innueremus; ita potest huic etiam *Therapevticæ difficultati*, non aliunde certius levamen sperari, quam ex *supplemento* partim, partim justo *directorio*, ejusdem *historiæ* veræ morborum; & ex hac elicitæ *causarum* συζυγίας, & influxus earum ad effectus illos morbidos inducendos. Ita tamen, ut distinctissimè, quantum usquam fieri potest, ante omnia in *Febribus*, tum etiam *hæmorrhagicis* inclinationibus atque moliminibus, ratio semper habeatur eximia, illius *activitatis*, quæ ab ipsius *Naturæ vigili energia*, non solùm expectari potest atque debet; sed etiam ita ante oculos habenda venit, ut omnibus modis intelligatur, imò memori mente teneatur, quod illa, utpote nequaquam emansura, aut *seponi* se passura, vera sociali ope atque opera ita respicienda sit, ut,

si-

ſicut nihil *ſine eâ* gerere, obtingit aut integrum eſt: ita tantò magis, ne quidquam *contra* eam, (niſi magnâ perturbatione graviter exerret,) ſuſcipere, unquam in animum inducatur. Quibus iuterim paucis poſtulatis, ſine dubio, quod ajunt, *brevibus longa* dixiſſe videbimur intelligentibus: ſed certè non inutilia, ſed niſi quidem nos ipſos omnia fallunt, penitus neceſſaria.

LII.

Fecimus quidem etiam mentionem *difficultatis judicii*, circa *Pharmaciam*; ſed cum præter ea, quæ jam de *experimento periculoſo* allegavimus, adeò nota utique ſit hæc res, ut non videatur ullo prolixiore teſtimonio indigere: *Conſilio* autem quôcunque illam ſublevare, nimius circa ipſam abuſus, non permittat, abſit ut hôc locô tali labori nos ſubmittamus. Poterit interim ſufficere, circa hoc quoque negotium, pauca quædam tetigiſſe, quæ non parvum momentum ad hanc etiam ſpem afferre, experientia ipſa oſtendet. *Primò* nempe, *Therapia*, modò nominatis fundamentis, nempe *indolis morborum* in ordine ad *energiam*, & cum *artis* ſubſidiis, *Synergiam*, ipſius *Naturæ* rectè ſuperſtructa, poteſtatem faciet rude donandi ingentem turbam, *numerò* atque *ſpecie*, *variorum* medicamentorum. Quod quidem præſidium magnopere *minuet*, *difficultatem judicii*, circa tot & tam multiplices res, alioquin vix non pasſim fluctuantis. *Secundò Selectus* etiam *fidorum*, *pauciorum* remediorum, & imprimis *ſimpliciorum* potius, quàm inutilibus, & communisſimè malè intellectis, præparationum apparatibus, ad vanam ſpeciem elaboratorum atque coacervatorum, ex altera prolixa *difficultate* explicabit; imprimis illâ, quam à *Galeno* jam notatam allegavimus, ut ſemper in impedito ſit *judicium*, quidnam, è multis & diverſis remediis, reverâ profuerit, aut vel toti ſcopo, vel unius fortè melioris (uti non ſine ratione cavillatur *Paracelſus*) *certiori*, efficaciæ, obſtiterit potius, & obfuerit. *Tertiò*, ut etiam hac in parte, firmiter inſiſtatur peritiſſimo *Hippocratis* monito: *Quamdiu omnia in eodem ſtatu permanent, ex iis, quæ primò, ſecunduùm rationem, a-*

*genda judicata & decreta fuerunt, nihil temerè mutandum, aut innovandum* esse. Sicut enim vel ipsi hominum vulgo, familiaris illa remediorum *variatio*, non iniustam suspicionem facit, quod ipse Artificis animus *fluctuet*, & incertus sit consilii, quid propriè atque proximè præsentibus necessitatibus satisfacere possit; si enim statim, quæ negotio rectè quadrare intelliguntur, in auxilium advocata sint, quid attinet, relictis illis ad alia confugere: Ita certum est etiam, quod in plerisque morbis, neque *plenus* atque absolutus effectus, intrà *breve* temporis spatium, ab ullo remedio expectari possit; nec ipsum etiam remedium, nisi justô concessô tempore, & ulterioribus progressibus & successibus, omnem suam energiam satis explicare queat atque perpetrare. Unde apophthegma est D.D. Præsidis; Nicht viel, nur das rechte. *Quartò*, vix autem mentione digna est, (utpote gravissime præjudicio adversa,) illa phantasia, tacta quidem jam ipso primo monito, ne *vanis titulis, promissis*, atque *superstitionibus*, in valde *pretiosis, Arcanis, Irradiativis, Panaceis*, frivola spes collocetur: *Metallicis, Gemmeis, Chymicis, Philosophicis*, Phantasmatibus, *simpliciora vegetabilia*, & sine vanitate ab inertioribus sui partibus sequestrata, fastuosè, magis quàm fastidiosè, postponantur. Quo eodem loco etiam reponimus, quam ne quidem, qui noster est candor, supponi posse optamus, *collusionem* illam Medici, cum *quæstu* Pharmacopolæ; ut quæ pretiô magnô emi debent, *vilioribus* & *euporistis* anteferenda esse, neque ipse quisquam credat, nec aliis callidè persuadeat.

LIII.

Unum adjicimus, tam ad *Therapevtici*, quam *pharmacevtici judicii difficultatem* sublevandam, non prætermittendum: ne videlicet bonum consilium therapevticum, & bonum remedium pharmacevticum, quando spei conceptæ bene respondere videntur, intempestiva securitate præmaturè *destituantur*, & tanquam exantlata tota mali sentina, rudedonentur. Quæ certè inconsiderantia, non solum com-

pos

pos eſt, quantumcunque bonum inceptum temerè *deſtituendi*; ſed etiam novis dè integro exortis turbis, nequaquam pari efficacia reſiſtendi, uti ſub *continuata* juſta methodo atque medicatione, quaſi nullo negotio valuiſſet.

LIV.

Imò non poſſumus, &, cum bonâ fide fieri non poſſet, nequaquam volumus, ſilentio præterire, monitum, ad *judicii* tàm *Therapevtici*, quàm *pharmacevtici*, difficultatem, hodiernis moribus, plùs quàm quisquam credere velit, tendens imò ruens cœptum ſeriò diſſuadens; nempe, ut omni ſtudio atque fide, *palliationes* atque *conſopitiones*, inſolidum evitentur. Quid in vera atque firma curationis ſpe atque methodo *neceſſitatis* habeant talia, nemò explicabit; quid *utilitatis*, nemô demonſtrabit: ſi à perita obſervatione didicerit, quantum damni, promtè atque facile huic objicere poſſint, ejusmodi artificia. *Periodicas* certè, & *repullulare* ſvetas ægritudines, in illam *contumaciam* conjicere, ut ne bonæ quidem methodo atque medicationi facile amplius obſequantur, nullâ operosâ aut ambiguâ opus eſt obſervatione: Ubi interim, dùm bonis conſiliis, aditum impoſterum præcludunt, nec ipſa quidem mala hæc atque perfida auxilia, diu atque multùm amplius promiſſa illa ſua efficacia potiuntur. Sed ſatis eſſe poterit, ſine ulteriore prolixitate hæc admonuiſſe.

LV.

Quemadmodum autem totô hôc *Aphorismô*, *difficultatèm* rectè comprehendendæ *Artis* Medicæ, *Hippocrates*, ſatis diſertè atque luculenter oſtendit; ita, ſicut hic *Judicii difficultatem* non ſine cauſa notat: pari ratione, tanquam *in ſpecie*, commendat Medico, *optime trutinatum Judicium* adhibere, priusquam, in ambiguis, & breves ſucceſſus offerentibus negotiis, *periculoſum Experimentum* capeſſere & in uſum trahere, ſuſcipio. Dum hujus Sectionis Aphorismo 24. jubet Medicus προεξευκρινήσαντα agere. Non, niſi prius *bene perpenſa*, & maturô firmôque *judiciô*, diſcreta

atque decreta, in effectum deducere. Ad quem textum proinde *Galenus*, non notat solùm, sed commendat penitus circumspectionem, & εὐλαβείαν *Hippocratis*: quod optime rem hanc perceperit, & acceptam velit: nihil inquam, in ejusmodi ancipitibus negotiis, temere aut inconsiderate audendi, sed cum *præmisso exquisito judicio*, adeoque plane consulto agendi, non tàm utilitatem, quàm veram necessitatem. Qua de re ex instituto actum est à D. D. Præside, in *Diagrammate* de veræ προεξευκρίσεως Medicæ fundamento. Tanto magis nempe necessaria re, cum *judicium* hoc recte constituere atque decernere, non *immeritò* difficile quiddam, ab ipso *Hippocrate* agnoscatur, adeoque nihil hic nudo casu committere sit integrum.

LVI.

Reliqua, quæ hic *Aphorismus* adhuc comprehendit, non equidem difficilia sunt intellectu; interim utique dignissima, & plane necessaria, non solùm *scitu*, sed etiam prudentissimo *usu*. Unde quidem in illis prolixius occupari, superfluum ducimus; illud autem animadvertisse non de nihili fuerit, quod eo ordine, quem *Hippoerates* hoc loco observat atque sequitur; tanto magis testatum reddat, quod hic proprie sermo ipsi sit, de omnibus his rebus, ut ad ipsum Medicum, ejusque debitam attentionem referendis, adeoque Medicum inprimis instruendum, ut non perfunctoriè consideratis atque pensitatis universis his *difficultatibus*, ex iis sese recte expedire, omni studio, solertia, & seriâ trutinatione, & comparatione *Potestatis Artis* ad subsidium Naturæ, adversus morbos ferendum, allabaret,

LVII.

Ita enim *Lib. 1. Epidemic.* textus secundum Linderium, 58. ordine diverso utitur, dicens: *Ars ex tribus constat, morbo, ægro, & Medico Artis ministro*: Interim hoc ipso nihil utique in fundamento diversum infert; sed potius rem psam eaqdem eloqitur: dum nempe tam *Morbi*, quam Ægri,

*mu-*

*mutuum* inter se habitum præmittens, *Medicum* hoc ipso dirigit, ut *Artem* his rebus, rectè cognitis & perspectis, administrare, & nihil aliud, cordi habeat.

LVIII.

Quanquam autem in nostro *Aphorismo*, primò loquatur de eo, in quo *Medicus* recte atque decenter se gerere, ita debeat; ut ad opus non aliter sese accingat, quàm secundum omnes illas memori mente benè *pensitatas*, *discretas*. & tandem sufficienter *decretas*, *difficultatum*, recte expediendarum vias: Cum tamen mox subjungat, quod etiam ipse *Æger* ea quæ decet agentem, atque observantem, sese *παρέχειν*, præstare atq; exhibere debeat: innuit illud ipsum, quod allegato textu *Epidemicorum*, optime exprimit, & omnino sancit, verbis: *Ægrum autem cum Medico adversari morbo oportet.*

LIX.

Aureo reverà monito, quod prolixiore, certe diligentiore, quam multa alia, Commentario commendari, omnibus modis mereretur. Quamvis enim v. g. *Vallesius*, ad hunc locum, brevibus moneat, quod *Ægrotus Medicum juvet, cum ei paret*, ut oportet: subest tamen revera consideratio adhuc longe profundior, & quæ sese valde longius porrigat, quàm *voluntaria* illa obedientia, quam Æger Medico præstet. Cum enim non ita raro obtingat, ut Æger satis Medico dicto audiens, nihilominus exoptatum Artis effectum non assequatur; est hic sanè benè perpendenda prior illa, & profundior, non amplius voluntariæ, sed *involuntariæ*, & *homine non cogitante* seu ratiocinante, fieri atque servari debitæ, *conspirationis Naturæ* adversus morbum, cum consiliis & auxiliis *medicis*: imò *activi connisus* proprii, etiam sine *externis* auxiliis, ad depellendum atque expellendum morbum, materiam nempe, atque corruptelam morbidam.

LX.

Sicut enim hæc ipsius *Naturæ activitas*, ex eo liqui-

dò elucet, dum, ut alibi *Hippocrates* effatur, *multi ægri ſine Medico ſanantur*: ita dum ſtatim ſubjicit: *Nemo autem ſine Medicina*: & proximo loco præfatur, *Naturas ipſas eſſe Morborum medicatrices*: non certe ſolo illo ſenſu, qui hujusmodi commentariis arridet, concurrere Ægrum cum Artificis præſcriptis, ſufficit. Sed eſt potius omnino opus, atque unice uſus, ut Medicus rectiſſime intelligat, quod *vera Medicina*, ad minimum *in genere*, adverſus Morbos, jam ita ſit in in *naturæ Poteſtate*, ut Medicus eandem velut ab hac ipſa Natura *addiſcere* poſſit, imò debeat. Certè verò nihil audere aut moliri, quod hujus non ſolùm *exoptando*, ſed nunquam etiam *negligendo*, concurſui atque *Synergiæ* directe obſiſtat.

LXI.

Quando verò, per individua, *aberrare* à juſto tramite Naturam, ſatis perſpexerit; tunc omnino memor eſſe debeat maturi præſagii & *prognoſeos*: & tanto majore cum ſtudio hoc agere debeat, ut illam in viam, quoad ejus fieri poterit, reducat. Quem in finem non incommodè *ſubjungi* potius potuiſſet, quàm *præmitti*, allegato loco *Epidemicorum*, monitum illud: *Præterita diſcito, Præſentia cognoſcito, Prædicito Futura: hæc meditator.* Certè enim de *futuris* inane fuerit præſagium, ſi *præſentis* Energiæ ipſius Naturæ, exquiſita obſervatio, æſtimatio, atque comparatio ad futuram ſpem, non cum cura, & τῷ μελετᾷν, inſtituta præceſſerit.

LXII.

Ubi quidem etiam *præterita diſcere*, ad illud apprimè facit, quod idem *Hippocrates* allegato hoc libro primo, niſi nos omnia fallunt, notanter obſervat; quod imprimis illorum certior fuerit interitus ex ejusmodi Epidemicis febribus, quibus jam alia aliqua mala atque morbida conſtitutio, & antecedens diſpoſitio *tabida*, in corpore præſto fuerit, dum in has febres inciderent. E quibus rebus rectè uti decet, penſitatis, fieri non poterit, quin conſpiratio illa ipſius Ægri, cum illis, quæ Arte decenter adminiſtrari poſſunt, atque debent,

bent, non minùs intelligenda atque obſervanda veniat, quàm ſolum illud voluntarium obſequium, Artis externæ præſcriptis exhibendum.

LXIII.

Rectè ſe etiam gerere debere, qui Ægro *aſſiſtunt*, optimè moneri ab *Hippocrate*, vix quisquam dubitabit. Quantum autem damnum ab hujus rei *pragmaticâ difficultate*, tàm in Ægri ſalutem, quam Artis exiſtimationem, in dies redundet, ſi vel mediocriter animus advertatur, nihilo magis obſcurum eſſe poteſt. Fuit quidem *Hippocratis* ævo, inſtitutum ſummæ utilitatis, ut ægris *adjungerentur* diſcipuli medici, qui illos rectè obſervarent, atque in officio continerent. Poſtquam autem luxus eò rem deduxit, ut propemodum nulli magis Medicorum opem efflagitent, quàm tales, qui corruptam vitæ rationem, quantumcunque accidedere atque reſtringere, moleſtiſſimè ferunt; & par asſiſtentium mollities, in proverbium adduxerit, *Medice vivere, eſſe peſſime vivere*: quamvis tandem intempeſtiva illa aſtutia, clam Medicum, omnia potius alia, quam quæ Medicus injunxerit, agitandi, tandem in ægri damnum & perniciem exeat: tamen nihilo etiam minus notorium eſt, quod ex hujusmodi intemperantia, per Asſiſtentium indulgentiam, ſi quid aliud, ſuſtentata, rebus malè cedentibus, in Artis & Artificis opprobrium flectatur. Unde profectò prudentia hic opus eſt, ut Medicus & ægro, & ſibi atque Arti, rectè proſpiciat.

LXIV.

Ultimo loco requirit *Hippocrates*, & commendat, ut etiam convenienter ſe habeant atque gerant, aut habeantur, *τὰ ἔξωθεν* quæ *ab extrà, extrinſecus*, corpori ingruunt, obtingunt, & contingunt. Non opus erit harum rerum catalogum texere, prolixum alias facile eventurum; ſuffecerit dixiſſe, quod illa talia ſint, quæ vel *materialiter, mediate* aut *immediatè*, corpus notabiliter alterare valeant: vel *motibus vitalibus, concitandis*, aut *regendis*, inſignem alterationem conciliare posſint. Quæ partim è rerum *non-naturalium* cenſu ſunt; partim autem à *voluntario* regimine ægrorum pendent. Utroque modo, vel *ſenſibiliter*, vel *inſenſibiliter*, corpus alterare idonea. Ubi *aër*, *cibus* & *potus*, *ſomnus* & *vigiliæ*, *motus* & *quies*, *excretiones*, & tandem *animi pathemata* (quibus *conſuetudinem*, imprimis ut *jucundi* aut *adverſi* annumerare æquam cenſemus,) regnum ſuum habent.

LXV.

LXV.

Sicut autem circa has res, rectè judicandas, ordinandas, atque circumscribendas, certè non parva requiritur, tàm *scientia*, quam *prudentia*; quod quidem enucleare, neque tam breve, nec interim tàm arduum, adeoque necessarium, fuerit cœptum: ita omissô potius hôc labore, suffecerit, solum illud, pro commendatione ejus, tetigisse, quod certè *Hippocrates*, non sine justa causa, præsente *Aphorismo*, etiam illam circumspectionem medico commendet, ut non negligens esse inducat in animum, harum rerum rectè observandarum: sed omnino, juxta effatum hoc Hippocraticum Aphoristicum, memor, imò certus, sit, *non sufficere*, ut *Medicus*, quæ simpliciter artis sunt, quantumlibet rectè atque ordine, agat & suppeditet; imò nec illud quidem insuper, ut *æger*, vel sponte Naturæ, vel voluntate obsequiosa, morbo suo invigilet: tum etiam *Assistentes* officio suo non desint, aut perperam illo utantur: nisi simul, quæ ab accidentalibus hujusmodi alterationibus evenire possunt, vel ita se habeant, vel ita observentur, præoccupentur, aut corrigantur, ne illa denuò non satis prævisas turbas objiciant, & periculosâ Antipraxi, reliquis utilibus conaminibus, remoras objiciant.

LXVI. Unde cuivis, tàm ad *Diagnosin accidnetalium* difficultatem, quàm ad *Prognosin*, magnum momentum adferent, observationes, constitutionis atque mutationis *tempestatum, locorum habitationum; Cibi & Potus*, vel aliàs consueti, vel mutati; imò, sub morbis, ne quidem magnoperè exigendi aut cogendi *appetitus*, sed potius servandæ tenuioris diætæ: *motuum* voluntariorum, præsertim in febribus continuis, non metuendæ *remissionis*: *vigiliarum*, non imperiosis artificiis arcendarum curæ: *Excretionum* verò prudentissimæ æstimationis, ne insolitæ, sed tamen præsenti constitutioni subservientes, simpliciter *sistendæ* aut *cohibendæ*, aut alieniores vel alieniore tempore, præsertim fortius, *concitandæ*, judicentur. Quis autem *Animi Pathematibus* modus, debeat aut possit statui, quæstio certè est non ita facilè decernenda. Quicquid ejus, citra *securitatem* atque *negligentiam* ægri, ad reliquam bonam spem atque *fiduciam*, adeoque *tranquillitatem*, reduci valet, habebit utique semper certissimum, nec exiguum quidem utplurimum, usum: evitando & *curarum*, & *cogitationum*, *inquietudines*, & *metus* atque *trepidationes*, & *iracuudiam* atque *indignationem*: tum etiam, à valde *spirituosis* remediis, *inebriatiuam*, aut *vertiginosam* atque fumosam (valde *odoriferorum*,) efficaciam &c.

Atque hæc sunt, quæ occasione *Aphorismi* nostri proponere visum est; si non simplici dissertarum *Thesium*, tamen justorum *Porismatum*, ordine: pauca, neque parva, neque plane protrita, complectuntur: ita scopo nostro atque voto satisfactum erit, si ante omnia *speciminis Publici* locum tueantur, & communi etiam utilitati, circa Artis non postrema momenta, quadrent. Unde DEO pro præstita nobis gratia, & largissima benedictione, laudem & gratias, & humillima vota, consecramus.

S. D. G.